

pefcendam. Obstetrices nostrae huic ulceri pulverem florum rosarum, vel semen lycopodii, alii vero alumen pulverisatum inspergunt, quod adstringendo cicatricem inducit. Si gangraena jam immineat, fomenta antiseptica tententur, quae tamen raro profunt; in ulcere vero non adeo gravi aquae vulnerariae usus et fasciarum, quae tamen non nimis arcta sit, constrictio, rem peragit. Reliqua tempori relinquenda sunt.

## §. II.

*Exomphali varii, tumor in regione hypogastrica.*

Tumores umbilici, qui non ex ulcere ortum ducunt, communi nomine *exomphali* dicuntur. Ex quo intelligimus, varias ejus inveniri species, cum *exomphalus* vel prolapsus intestinorum vel herniam indicet. Prolapsus intestinorum vel ita existit, ut intestina, rupto peritoneo nuda elabantur, vel ita, ut eo adhuc investita sint; licet errorem non gravem committunt, qui hanc speciem ad hernias referant. In hernia vero tantum umbilicus, integumentis adhuc vestitus, tumet. Non adeo rarum est, intestina ex vitio congenito nuda prolabi, et ex annulo umbilicali propendere. Accusantur in ea re fere semper injuste obstetrices a matribus, ac si in partu exomphalo rudiore manuum applicatione occasionem dedissent. Sed MORGAGNIUS <sup>m)</sup> idem vitium in fetu abortivo, ovo illaeso cum omnibus involucris nato, vidit, atque annuli umbilicalis coalitus cum intestinis prolapsis, qui plerumque in ejusmodi fetibus adest, malum jam in utero ortum esse indicat: qualem infantem FRIEDIVS junior <sup>n)</sup> descripsit, in quo peritoneum sub integumentis intestinis accrescens anulum formaverat. Saepius vero accidit, ut aliae quoque partes v. c.

Omen-

<sup>m)</sup> *De sed. et causis*. Epist. XLVIII. art. 53.

<sup>n)</sup> *Diss. de fetu, intestinis plane nudis extra abdomen propendentibus*. Argentor. 1760. Conf. quoque Cl.

GEHLERI *diff. cit.* pag. 15. Allegat FRIEDIVS p. 6. plura ejusmodi exempla: qualia multa quoque habet Ill. HALLERVS *opp. anat.* T. III. p. 8. seq. et *opuscul. pathol.* obs. 35.